



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

11. Ottonis M. Imp. Diploma Datum Romæ Anno DCCCCLXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

in vicino Treuirensium murorum in honore S. Iohannis Euangelistæ fundatum, Sanctis Sanctorum Confessorum Maximini, Agritij, atque Nicetij corporibus dicatum, immobiles permaneant sententia in Kartis conscriptæ, Ottonis Regis, prædecessorumque eius Regum, Francorum videlicet, ut in præsenti & imposterum sub regiâ tantum potestate permaneat, neque ulli vñquam alteri personæ subiaceat, excepto Abbatे, quem eiusdem Monasterij fratres communii concordiâ secundum regulam elegerint: Si verò prædictus Archiepiscopus, aut aliquis successorum eius, seu alius quilibet fratribus, qui sunt, vel erunt in eodem Monasterio, quietem impiè crudeliterque turbauerit, nisi primo præsenti conscriptione, ac deinde ab Apostolicâ dignitate admonitus resipiscat, non ut Pastor, sed ut mercenarius tractetur: Idcirco si in tam pertinaci durtiâ persistiterit, ad ultimum nostrâ Apostolicâ authoritate excommunicetur. Et in super bonis Regibus & Ducibus, iustisque Iudicibus resistentibus, compos voti sui nunquam fiat, Scriptum per manum Iohannis Scrinarij Sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Data pridie Kalen. Martij Indictione VIII. Bene valete.

## II.


*Ottonis Magni Imperatoris Diploma Datum Romæ,  
Anno DCCCCLXII.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ fauente clementiâ Imperator Augustus.

Quamuis omnium Ecclesiarum Dei curam nos oporteat gerere; præci-  
puè tamen, & specialius illius Ecclesiæ profectum & honorem augere, & con-  
firmare dignum duximus, de qua & per quam Regni nostri, & Imperij corrobo-  
ratur status, & per quam contextalem nostram, more prædecessorum nostrorum,  
dotali lege nobis associare, & in Regnum & Imperium sublimare debe-  
mus. Quapropter fidelium nostrorum tam præsentium, quam & futurorum  
magnitudini notum esse volumus, qualiter nos piè salubriterque de nostri statu  
Regni tractantes, deuotamque sollicitudinem prædecessorum nostrorum Re-  
gum & Imperatorum, Constantini videlicet, Sanctæ Helenæ filij, nec non  
Theodosij, Mauritij, Dagoberti, Pippini, sed & Magni Karoli, aliorumque post  
illos usque ad nos imitari cupientes, Adeiheidam coniugem nostram dilectissimam  
cum Abbatia S. Iohannis Euangelistæ, quæ in suburbio Treuirorum sita est,  
vbi S. Maximinus pretiosissimus Confessor corpore quiescit, cum omnibus Ec-  
clesijs & possessionibus ad eam in quibusunque locis iuste & legaliter perti-  
nentibus, sicut antea, cum nuptiali fœdere & Regali consecratione eam nobis  
associaremus in Regnum ultra montes in Galliæ partibus, ita nunc & in hac  
Romana vrbe, Sanctissimo viro Ioanne summo & vniuersali Papa, Beati Petri  
Apostoli vicem gerente, per Apostolicæ suæ auctoritatis Priuilegium confir-  
mantem, cum præfatâ Abbatiâ sicut primitus in regnum, ita & nunc in Impe-  
rium dotamus, sublimamus & corroboramus, præcipientes videlicet, & per  
hoc nostrâ auctoritatis Priuilegium firmissime decernentes, ut idem locus, cui  
Venerabilis Vir, Williberus Abbas, iam præesse dignoscitur, à Regni dote qua-  
cunque arte vel ingenio, nunquam auellatur, nec alicui sedi, vel Ecclesiæ, nec  
alicui Ecclesiastica, siue mundanæ personæ famula aut appendix vñquam sub-  
iaceat. Sed sicut sub prædecessorum nostrorum, sic sub nostro quoque suc-

cessorum nostrorum Mundiburdio & defensione , & Apostolicæ sedis dotata munimine, ab omni perturbationis molestia libera semper & immunis permaneat. Decernimus etiam atque constituimus, ut præfatus Abbas, omnesque sui successores prædictæ coniugi nostræ, Adelheidæ scilicet, Imperatrici, alijsque post illam Reginis vel Imperatricibus ad Capellam, ad menlam in curia regia seruant, & seruitum, quod in secundo semper anno de eadem Abbatia, dictante iustitiâ, daturi sunt, sibi exhibeant. Ipsi vero, quotiescumque ad Regalem curiam venerint, de regia mensa pascantur & inter curiales & domesticos Regis & Reginæ, qui regio cibo vescuntur, non infimi semper habeantur, prout decet illum sacratissimum locum, & prouisores ac Ministros illius Ecclesiæ, per quam cuncti Reges & Imperatores per vicissitudines temporum cum suis coniugibus in Regnum & Imperium semper confirmabuntur. Statuimus insuper & hac nostrâ Imperiali auctoritate ad præbendam fratrum in antedicto Monasterio Deo, sanctisque eius seruientibus corroborare decreuimus, quidquid sub Antecessoribus nostris Constantino, Dagoberto, Pippino, Karolo, Arnulpho & Henrico Patre nostro ad nostra usque tempora, ad peculiaritatem illorum in Ecclesijs aut locis supernotatis, pertinere videbatur, ut ex his vietum atque vestitum consequantur: hoc est, Apula, Suaueheim, Euernesheim, Mannendar, Narheim, Bokinheim, Alsontia, Scheringesfelt, Vainesheim, Basinbach, Sie-mera, Gunthereshusen, Ruosbah, Holzhusen, Folemæresbach, Riuenaha, Loauia, Windingen, Ochisheim, Rateresdorff, Bustar, Meisbrath, Ebano, Decima & Vallis cum suis pertinentijs, Markedeth, Daleheim, Linniche, Mierske, Euerlinga, Fula, & quod in pago Salnense, vel in Ciuitate Metensi, vel circum circa in Villa Wilere in vineis aut agris habere videntur, vel in pago Nahgowe in his Ecclesijs, Cozoluesheim, Albuclo, Wildstein, Wienheim, aut iuxta mōsellam, Didenhouun, siue quod ultra Rhenum in curte, quæ Prichina vocatur, cum omnibus ad eam pertinentibus Sanctus Maximinus habere videtur, Murmirdinga, & Druhdilginga, quæ ad cellam in Tauena aspicere probantur. Hec igitur loca, & possessiones, & omnes S. Maximini Ecclesijs, cum decimis, & falcis decimationibus ad præbendam fratrum, & ad usus hospitum peregrinorum ac pauperum delegamus & corroboramus. Et ut nullus successorum nostrorum Regum vel Imperatorum, neque Abbas aliquam de prædictis curtem vel Ecclesiam cuiquam beneficiare præsumat, per hoc nostræ auctoritatis præceptum firmissime præcipimus. Et, ut hoc, quod ad honorem regni nostri & Imperij, & ad utilitatem eiusdem loci statuimus, firmum semper & stabile permaneat, cartam hanc inde conscribi, & sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Ottonis Magni  
operatoris Augusti. Ludolfus Can.  
Wilihelmi recognoui. Data Anno  
nationis DCCCCLXII. Indictione  
perij Domini Ottonis primo. Regni  
Regis Ottonis. Filij eius secundo.  
Dei nomine feliciter. Amen.



& inuestissimi Im-  
cellarius ad vicem  
Dominicæ Incar-  
quinta Anno Im-  
vero Serenissimi  
Ætum Romæ in